

et nihil tam fidei humanæ congruum esse inquit, quam pacta conventa servare; leg. 1. in princip. de pact.

(74. Jus Canonicum restituit jus naturæ, et ex omni pacto actionem dedit. Idque probatur ex c. 1. de pact. verb. *Conventus sentiat disciplinam Ecclesiast.*, etc. Ergo conventus mediante actione compelli ad implendum pactum potest: ex cap. 3. eod. ubi distincte dicitur, promissum esse servandum ex cap. 1. et final. eod. tit. in verb. *Perpetuo inviolabiliter observari*. Vide et alias juris Canonici loca allegata a Stryk. in usu mod. Pand. lib. 2. tit. 14. § 2.

(75. Moribus confirmatum est jus Canonicum, ita ut hodie omnia pacta nuda producant obligationem civilem; Groenweg. in leg. 10. per tot. Cod. de pact. Stryk. in usu modern. Pandect. lib. 2. tit. 14. § 3. At confer præ cæter. Henric. Coccei in dissert. de Jur. Pœnitent. 4. § 10.

(76. Quæ quum ita se habeant, duo inde inferre licet. Primum est, quod hodie nec in Contractibus innominatis locus sit pœnitentiæ, «Gravis» ita ad rem disserit Stryk. in usu modern. Pandect. lib. 2. tit. 14. § 5, «controversia resultat, an supposita simplici illa pactorum validitate pœnitentiæ adhuc locus sit in Contractibus innominatis? Quippe Romano jure expeditum est, in illis contractibus non tantum ab initio pœnitentiæ locum esse, sed et illi repetitionem permissam, qui ex sua parte Contractum adimplevit, etc. Hodiè vero in Contractibus innominatis pœnitentiæ locum non esse ea propter defendit Molin., etc., quia omnia, quæ de pacto nudo ac vestito, de Contractibus nominatis, et innominatis subtiliter potius quam utiliter ab Ethnicis hominibus inventa atque introducta sunt, non congruunt validitati pactorum, quam de jure naturali, et canonico habent. Molinæ sententiam rejicit D. Han. ad Wesembec., etc. Leges Romanas ab iniquitate vindicans, et exemplo perniciosum esse asserens ista, quæ longa deliberatione habita diu in Republica constituta velle abrogare. Verum ut ut facile admittam non posse iniquitati incusari Jus Romanum ut in Contractibus innominatis pœnitentiam admittat, quippe omnino ab arbitrio Legislatoris civilis est modum inducendæ obligationis determinare aut limitare, etc. Non tamen video qua ratione hodie defendi possit illorum sententia, qui quamvis ex pacto actionem concedant, pactum tamen permutationis alteriusve Contractus innominati obligationem validam producere negant, sed adhuc pœnitentiæ locum esse asserunt, etc. Si enim stipulatio Contractui innominato addita excludit pœnitentiam, quidni et pactum quod vim stipulationis habet?»

(77. Alterum est, quod hodie omnes contractus dici possint consensuales «Hodie» ita quoque prosequitur Stryk. in usu modern. Pandect. lib. 2. tit. 14. § 7, «omnes Contractus veros (si literarum obligationem exceperis, in qua singularitas notoria) in effectu esse consensuales, sive nominati sint, sive innominati. In eo enim consensua-

lium contractuum vis consistit, quod ex solo consensu inducatur obligatio circa ullius rei interventum, etc. Atqui vero consensus contrahentium in quocumque alio contractu pariter adsit necessum est. Supposito consensu supponitur pactum. Ex pacto vero valida resultat obligatio. Id tamen adhuc hodie verum est. Consensu non perfici contractum realem, sed rei interventum adhuc necessarium esse. Quis enim pacta de commodando, vel deponendo, commodatum, vel depositum hodie diceret? Sed et id tamen verum est, pactum de commodando obligationem efficacem pariter producere, quam si consensualis contractus pariter fuerit initus. Unde nec commodati, nec depositi actio daretur hodie, sed tantum conditio ex pacto de commodando, etc. Ubique tamen suppose interesse alterius necessarium verti in implemento pacti, alioquin cessante interesse pœnitentiæ, locus est in omni alio contractu, quum exceptio tua non interest omnem agentem repellat.»

(78. Cave autem ne confundas tractatus de contrahendo cum pactis, et contractibus. Separandi enim sunt tractatus ab ipsis pactis, et contractibus. Hoc omnino certum, ex nudis tractatibus ad conclusionem non deductis nec hodie oriri obligationem. Quædiu enim negotium adhuc tractatur, deest consensus ille duorum in idem placitum. Diversum vero est a tractatu pactum de contrahendo. Quocirca omnino obligatur qui mihi promittit se domum venditurum esse vel rem mihi esse commodaturum. Adest enim jam tum idem placitum; vide Stryk. de cautel. Contract. sect. 1. c. 6. § 1.

(79. Reliquum est, ut dispiciamus, an illa quæ de Jure Romano obtinebat distinctio inter contractus bonæ fidei, et contractus stricti juris, locum sibi vindicet etiamnum.

(80. Contractus illi dicebantur bonæ fidei, ex quibus, vel utrimque principaliter obligatio ac propterea etiam utrinque directa actio nasebatur, vel ex uno latere principaliter, ex altero per consequentiam quamdam, ac velut ex post facto, adeoque duplex quidem actio competebat, sed directa una, altera contraria; contra vero contractus, qui ex uno tantum latere obligationem pariebant, stricti juris erant.

(81. In contractibus autem bonæ fidei quum difficilius esset ob multiplicem circumstantiarum varietatem ita, vel pactionibus omnia definire, vel cautionibus circumscribere, ut non a prudentissimis quædam ommitterentur, justum visum fuit, id quod deesset expressæ partium conventioni per Judicem ex bono et æquo suppleri, atque ita per eum æstimari quantum Alterum Alteri ex bono, et æquo etiam extra ac præter id, quod in conventionem deductum erat, præstare oporteret. (82. E diverso quum in contractibus stricti juris non tantæ, tamque multiplicatæ occurrerent rerum varietates, visum fuit his definiendis prudentem contrahentis circumscriptionem posse sufficere, ac suæ culpæ, et negligentia debere unumquemque accepto ferre, si minus ei

per conventionem prospectum sit, ac propterea Judicem in Judicando adstrictum esse oportere iis quæ placuerant, nec debere eorum, quæ nominatim cauta non essent, habere rationem. Adisis Arnol. Vinnium in Commentar. ad Institut. lib. 4. tit. de Action. §. 28. n. 2.

(83. Ut autem ad propositam quæstionem veniamus differentiam inter utriusque ge-

CONTRACTUS

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Donatio quoad ejus naturam, divisionem, et effectum.*

1. Donatio unde sit dicta. — 2. Donationis definitio asfertur. — 3. Donatio dividitur primo in Donationem verbalem, et in Donationem realem. Donatio verbalis quæ sit. — 4. Donatio realis quæ sit. — 5. Donatio dividitur secundo in Donationem mere gratuitam, seu liberalem, et in Donationem remuneratorem: Donatio mere gratuita, seu liberalis, quæ sit. — 6. Donatio remuneratoria quæ sit. — 7. Donatio dividitur tertio in Donationem puram, seu absolutam, et in Donationem non puram, seu conditionatam. Donatio pura, seu absoluta quæ sit. — 8. Donatio non pura, seu conditionata, quæ sit. — 9. Donatio dividitur quarto in donationem inter vivos, et in donationem mortis causa. Utraque hæc Donatio habetur in Jure definita. — 10. Donatio inter vivos clarius definitur, et quæ sit. — 11. Donatio mortis causa clarius definita quæ sit. — 12. Donatio mortis causa potest fieri tribus modis, qui referuntur. — 13. Donatio mortis causa fieri potest non tantum in evidenti, et præsentis, sed et in futuro mortis periculo; et in quavis infirmitate: immo etiam tempore perfectæ sanitatis. — 14. Donatio mortis causa expirat, seu tacite revocatur quatuor modis. — 15. Primo expirat ipso jure cum cessat infirmitas, seu mortis periculum, occasione, et intuitu cuius Donatio facta est. — 16. Secundo expirat, cum Donatarius moritur ante Donatorem. — 17. Tertio expirat, cum Donatorem pœnitit Donationis factæ. — 18. Quarto expirat, cum Donator pœna capitis afficitur. — 19. Donatio mortis causa differt a Donatione inter vivos potissimum in tribus, quæ assignantur, usque ad n. 21. — 22. Ad valorem Donationis, sive inter vivos, sive mortis causa requiritur voluntas, et animus donandi ex parte Donantis, et acceptatio ex parte Donatarii. — 23. Voluntas, et animus donandi in Donatione sufficit quod manifestetur aliquo modo, sive ore tenus, sive in scriptis, sive præsentis, sive absentis fiat. — 24. Sic etiam acceptatio sufficit quod fiat Donatario, sive scriptis, sive verbis, sive solis signis. — 25. Immo si quis donat præsentis, isque tacet, consentire, et acceptare censetur. — 26. Donatio facta Ecclesiæ, vel alteri piæ causæ statim obligat, quamvis a Rectore, vel Administratore Ecclesiæ vel causæ piæ absente nondum sit acceptata. — 27. Donatio excedens quingentos solidos insinuari debet apud Judicem. — 28. Et si talis Donatio non insinuatur apud Judicem est invalida. — 29. Talis omissa insinuatio non invalidat totam Donationem sed tantum quoad excessum supra quingentos solidos. — 30. Solidus quid sit. — 31. Plures Donationes excedentes quingentos solidos valent absque insinuatione. Primo valet absente insinuatione Donatio facta ad reparationem ædium dirutarum, seu incendio consumptarum. — 32. Secundo valet absque insinuatione Donatio facta Ecclesiæ, Monasterio, vel alteri pio loco, seu ad quamlibet piam causam. — 33. Tertio valet insinuatione Donatio remuneratoria beneficiorum. — 34. Si tamen Donatio excedat merita Donatarii, insinuanda est quoad illum excessum. — 35. Generaliter loquendo omnis Donatio quæ sit ob aliquam causam, non indiget insinuatione. — 36.

neris contractus adhuc superesse, et nisi ea retineatur, totam jurisprudentiam subverti debere, tenet Faber de error. Pragmat. decad. 9. error. 1. Contra Gudelin. de jur. noviss. lib. 3. cap. 13. Strykius in usu modern. Pandect. lib. 44. tit. 7. § 8. et post alios Bohemer. in Introduction. jus digestor. lib. 44. tit. 7. n. 19. sentiunt, nullum hodie esse usum dictæ differentia.

DONATIONIS.

Quarto valet absque insinuatione Donatio rerum mobilium quingentos solidos excedens, quam belli Dux facit militibus. — 57. Quinto valet absque insinuatione Donatio, quam Princeps supremus facit privato, aut privatus facit Principi supremo. — 58. Donatio facta supra quingentos solidos potest a Donatario tuto conscientia retineri etiam quoad illum excessum, donec a Donante, vel ejus hærede repetatur, vel per Judicis sententiam rescindatur Donatio quoad illum excessum. — 59. Donatio licet solum verbalis obligat Donatorem ad tradendam rem Donatam, si a Donatario fuit acceptata. — 40. Immo in casu quod Donator nolit tradere rem Donatam, conceditur Donatario actio contra ipsum ad tradendam rem verbaliter Donatam. — 41. Donator si actione conveniatur ad tradendam rem Donatam, debet prius debita aliis creditoribus, et potest necessaria propriæ sustentationi deducere. — 42. Si Donator sit in mora tradendi rem Donatam, non tenetur fructus ex re donata interea perceptos Donatario restituere. — 43. Neque tenetur ob dilatam traditionem usuras solvere. — 44. Donatio in quibus potius causa mortis quam inter vivos dicenda sit. *Remissive.*

ARTICULUS II. — *Donatio quoad personas, quæ donare possunt, vel non, et quoad quantitatem.*

1. Donare potest omnis ratione utens, Lege non prohibitus; habens plenum Dominium, seu liberam administrationem rei suæ. — 2. Donare autem non potest pupillus et minor, furiosus amens, prodigus, etc. — 3. Tutores, ac Curatores non possunt donare de bonis quæ administrant. — 4. Possunt tamen Tutores, ac Curatores ad proportionem conditionis, et facultatem sui Principalis facere elemosynas, et proportionatas donationes remuneratorias pro meritis, et servitiis suo principali collatis. — 5. Uxor potest libere donare, atque elemosynas facere de bonis suis paraphernalibus, et de iis bonis quæ extra bona communia dotalia aliunde acquirit, et de aliis remissive. — 6. Filius familias donare potest etiam invito Patre de suis bonis castrensibus, vel quasi castrensibus et de aliis remissive. — 7. Pupillus, et minorennis si pubes sit, etiam invito Tutore seu Curatore, potest facere donationes, elemosynas, vel alios sumptus moderatos pro sua conditione, et facultate, ut faciunt alii parvis conditionis. — 8. Si autem talis pupillus, vel minorennis profuse et excessive donet, vel expendat, peccat: illi tamen, quibus talis donatio facta est, non tenentur ad restitutionem, donec donatum ab ipsis repetatur. — 9. Pater si donet aliquid filio non emancipato, ejus donatio est invalida, et pro arbitrio patris potest revocari. — 10. Talis autem donatio evadit statim valida post mortem patris. Et sic etiam post emancipationem filii res prius donata statim transit ad filium donatarium, si usque ad emancipationem pater non revocavit donationem. — 11. Danter aliqui casus, in quibus donatio Patris facta filio nondum emancipato statim valet, et enumerantur. — 12. Mater valide donat filiis tam emancipatis, quam nondum emancipatis. — 13. Conjux nequit alteri conjugi mere liberaliter aliquid donare; et si talis mere liberalis donatio fiat inter virum et uxorem durante matrimonio est invalida, et ad arbitrium donantis revocari potest, si ex illa donans sit paupe-

rior, et donatarius ditior. — 14. Valida tamen est donatio inter conjuges in pluribus casibus. Et primo valida est inter eos donatio remuneratoria ob præstita obsequia, et beneficia, seu servitia alias ordinarie indebita. — 15. Secundo, valida est donatio facta ab uno conjuge alteri conjugi, si ex donatione donans non est factus pauperior. — 16. Tertio, valida est donatio, si ex ea non sit factus locupletior conjux donatarius, etiamsi conjux donans pauperior fiat donando. — 17. Quarto, valida est donatio facta causa exsilii, vel alterius pœnæ, bonorum confiscationem secum trahentis. — 18. Quinto, valida est donatio mutua inter conjuges, saltem quando una alteram notabiliter non excedit. — 19. Sexto valida est donatio mortis causa facta inter virum et uxorem. — 20. Septimo, valida est donatio, qua vir remittit uxori usuras dotis conventionem debitas. — 21. Octavo, valida est donatio facta ad reficiendas ædes dotales. — 22. Nono, valida est donatio si uxor marito donet causa honoris, vel dignitatis adipiscende. — 23. Decimo, valida est donatio si vir uxori dotem promissam remittat, vel si uxorem dotet causa remunerationis. — 24. Undecimo, valida est donatio inter Conjuges Principes supremos. — 25. Duodecimo, valida est inter virum et uxorem donatio exigui pretii. — 26. Tertiodecimo, omnis donatio invalida facta ab uno conjuge alteri conjugi inter vivos fit statim valida post mortem donantis, si eam in vivis tacite, vel expresse non revocavit. — 27. Tunc autem censetur tacite revocata donatio, si donans rem prius conjugi donatam postea alteri donet, leget, vendat, pignori, aut hypothecæ subiciat. — 28. Sic etiam talis donatio censetur tacite revocata per divortium. — 29. In dubio an donatio fuerit a donatore revocata, præsumendum est non esse revocatam. — 30. Milites donare non possunt Focariis, seu concubinis suis. — 31. Princeps supremus, ut Rex, et hujusmodi non potest profuse donare in grave, et notabile præjudicium status, et regni, atque ideo successores poterunt ejusmodi donationes revocare. — 32. Potest tamen Rex, et alius Princeps Supremus donare juxta conditionem sui status, sicuti potest, et debet remunerare merita subditorum, præsertim si in commune bonum cedant. — 33. Clerici Beneficiati de bonis suis patrimonialibus, et quasi patrimonialibus facere possunt honestas donationes, non tantum remuneratorias, sed etiam liberales, et profanas; moderatas tamen secundum qualitatem sui status, et conditionis. De bonis autem Ecclesiasticis superfluis non. — 34. Episcopi, Ecclesiarum Prælati, sive Sæculares, sive Regulares non possunt facere ex mera liberalitate donationes magnas de redditibus, et bonis Ecclesiæ, vel Monasterii, et si tales donationes fiant, revocari possunt, et debent per Successorem. — 35. Possunt tamen dicti Prælati facere valide, et licite donationes modicas etiam liberales, ubi est loci consuetudo. — 36. Immo possunt dicti Prælati facere moderatas donationes ex rebus mobilibus Ecclesiæ, seu Monasterii non pretiosis, etiam ubi non est loci consuetudo. — 37. Quænam autem dicantur modicæ, et quæ immodicæ donationes, relinquatur Judicis, aut viri prudentis arbitrio judicandum. — 38. Episcopi, et Ecclesiarum Prælati possunt facere donationes remuneratorias etiam magnas in compensationem meritum, et beneficiorum in Ecclesiam, vel Prælatum, seu etiam in membra ipsius a donatariis collatorum. — 39. Immo ob remunerationem magnorum beneficiorum, quæ Ecclesiæ vel Prælati ejus intuitu præstita fuerunt, etiam res aliqua immobilis Ecclesiæ donari potest alicui præmisso tractatu, et aliis juris solemnitatibus. — 40. Episcopi, seu Ecclesiarum Prælati, etiam Regulares non solum habent potestatem donandi ad remuneranda beneficia, vel obsequia jam præstita, sed etiam possunt facere donationes magnas, ut donatarium moveant ad facienda Beneficia in futurum. — 41. Prælati Ecclesiastici

etiam Regulares, etiam sine consensu Capituli, et requisitis juris solemnitatibus possunt ex causa pietatis, et misericordiæ, sive titulo elemosinæ facere de redditibus, et bonis Ecclesiæ, seu Monasterii donationes proportionatas ad facultates quas habet Ecclesia, seu Monasterium. — 42. Prælati, seu Superiores Regularium non possunt de bonis Monasterii seu Ecclesiæ facere donationes ad usus profanos, v. g. ad locupletandos suos consanguineos, et qui acceperint, tenentur ad restitutionem. — 43. Regulares illi, qui non sunt Prælati, administrationem tamen habent sibi commissam bonorum Monasterii, ut sunt Oeconomus, possunt facere donationes, et elemosynas dispensare secundum facultatem sibi a Superiore concessam, et juxta Ordinis statuta, et consuetudinem. — 44. Regulares illi, qui extra Monasterium degunt cum Superioris licentia, ut sunt aliqui Regulares Beneficiati, possunt, ac tenentur de redditibus Beneficii, quorum libera est eis permissa administratio, disponere inter vivos, donationes honestas, et elemosynas facere, ut alii Beneficiati Sæculares. — 45. Regulares, qui in Monasterio sub obedientia Superiorum vivunt, et nullam bonorum administrationem habent, nullas omnino donationes, etsi alias justas, facere possunt, absque expressa, vel tacita Superioris licentia. — 46. Quoad quantitatem donandi sunt prohibita duo genera donationum, scilicet, donatio omnium bonorum et donatio liberalis excedens 500 solidos absque insinuatione facta. — 47. Donatio omnium bonorum præsentium et futurorum, mobilium et immobilium prohibetur, et irritatur expresse, quia talis donatio aufert facultatem testandi. — 48. Cessante autem hac ratione donatio valet in utroque jure, et foro. Hinc valida est donatio omnium bonorum præsentium. — 49. Sic etiam valida est donatio omnium bonorum præsentium et futurorum, excepto usufructu. — 50. Item valida est donatio omnium bonorum præsentium, et futurorum mortis causa facta. — 51. His additur, quod valida est donatio omnium bonorum præsentium, et futurorum, quamvis adimatur donatori testandi facultas, quando inter vivos fit talis donatio Ecclesiæ; vel ad aliquam piam causam. — 52. Et quando talis donatio cuicumque facta juramento confirmatur. — 53. Donatio liberalis excedens 500 solidos, est invalida quoad excessum, nisi fiat cum insinuatione. — 54. Si quis sine insinuatione donet pluribus summam excedentem 500 solidos, donatio illa quoad excessum est invalida, si simul, et quasi uno animi impetu fiat. Si tamen diversis temporibus, animique motibus fiat, est valida. — 55. Si quis debitum aliquod liquidum summam 500 solidorum excedens remittat, invalida est remissio. — 56. ad 62. Aliæ personæ de quibus quæri potest an possint necne donare.

ARTICULUS III. — Donatio quoad ejus revocationem.

1. Donatio inter vivos semel legitime facta, et acceptata, regulariter loquendo non potest amplius revocari per Donatorem. — 2. Et sic firma remanet talis inter vivos facta donatio, ut neque per rescriptum Principis revocari valeat. — 3. Ab hac regula excipiuntur tres causæ principales, ob quas donatio revocari potest, scilicet ob ingratitudinem Donatarii, ob prolem postea susceptam, et si donatio sit inofficiosa liberis. — 4. Adducitur prima causa principalis, scilicet ingratitudo donatarii, ratione cujus in quinque casibus donatio potest revocari. — 5. Primus casus est, si donatarius manus impias, ac violentas in donatorem injecerit. — 6. Secundus casus est, si donatarius in donatorem injurias atroces effudit. — 7. Tertius casus est, si donatarius grave damnum inferat donatori in rebus, seu bonis suis externis. — 8. Quartus casus est, si donatarius grave periculum vitæ donatori inferre præsumpserit per se, vel per alium. — 9. Quintus casus est, si donatarius conditiones in donatione impositas, et a se acceptatas

noli adimplere. — 10. Præter hos quinque casus in jure expressos volunt varii Doctores dari alios consimiles, in quibus, ob majorem, vel æqualem ingratitudinem possit revocari donatio. — 11. Contraria tamen sententia est juri conformior, adeoque in praxi tenenda. — 12. Donator probare debet in judicio ingratitudinem, si ob illam revocare vult donationem. — 13. Potestas revocandi donationem ob ingratitudinem competit soli donatori, et non transit ad ejus hæredes, et solum contra donatarium, et non contra ejus hæredes. — 14. Dummodo tamen ante mortem donatoris non fuerit lis contestata. — 15. Quinimmo hæredibus donatoris competit actio contra donatarium, et ejus hæredes, etiamsi donator absque lite contestata decesserit, vel quia ingratitudinem ignoraverit, vel quia ad agendum tempus non habuit, vel impeditus fuit. — 16. Assignantur quædam donationes, quæ ob ingratitudinem donatarii revocari non possunt. Et primo revocari non potest donatio remuneratoria. — 17. Secundo, donatio facta Ecclesiæ, Monasterio, vel aliis piis locis revocari non potest ob ingratitudinem Prælati, seu Administratoris, vel Capituli, vel utriusque simul. — 18. Tertio, donatio facta ratione dotis non potest post contractum matrimonium revocari ob ingratitudinem femine dotate, vel ipsius mariti. — 19. Quarto, revocare non potest donator donum a tertio, cui donatarius jam vendidit, donavit, vel in dotem dedit. — 20. Adducitur secunda causa principalis, scilicet proles postea suscepta, ob quam donatio potest revocari. — 21. Et hoc idem est dicendum etiamsi unica tantum postea nascatur proles. — 22. Limitatur tamen Conclusio in donatione facta Ecclesiæ, vel ad aliam piam causam. — 23. In tali causa donationis factæ Ecclesiæ, licet non ex obligatione justitiæ, ex æquitate tamen naturali, et quadam honestate, deberet totum donatum restitui donatori, si ex post sint ei nati filii. — 24. Limitatur etiam Conclusio in donatione remunera-

ARTICULUS I.

Donatio quoad ejus naturam, divisionem, et effectum.

(1. Donatio ex etymologia nominis teste Juriconsulto in l. *Senatus* 35. § 1. ff. de mortis causa donationibus, dicitur a dono, quasi *doni datio*. (2. Donatio bene describitur a Soto in 4. dist. 15. quæst. 2. § *Secundo potest*, dicendo: « Donatio est datio mere liberalis; » seu ut alii loquuntur Donatio est *translatio Domini alicujus rei per actum mere liberalem in alium facta*. Et ut communiter definiri solet apud Hostien. in sum. de donatione et ab Abbate ad rubr. de donat.: « Donatio est rei licitæ (id est donari non prohibitiæ) nullo jure cogente, ex mera liberalitate facta collatio, seu datio, » et sic colligitur ex l. *Donare* 29. de donation. et l. *Donari* 82. ff. de Reg. Jur.

(3. Donatio dividitur primo in donationem verbalem, et in donationem realem. Donatio verbalis, quæ donatio imperfecta dicitur, est illa, qua quis per verba de præsentibus jam actu donat rem alteri, sed actu eam rem ipsi non tradit, utpote forsan absentis, vel donanti ad tempus adhuc necessaria; ut cum dico v. gr. dono tibi hunc librum, illum equum; sed quia vel equus est absens, et liber adhuc pro aliquo tempore est mihi necessarius, non traditur actu, et per hoc remanet donatio imperfecta, ex quo non convenit at ei dicta definitio desumpta ex Jure l. *donare* 29. de donationibus; et leg. *donarii*

ratoria, vel facta ob aliam causam in commodum ipsius donatoris. — 25. Adducitur tertia causa principalis, propter quam revocari potest donatio, scilicet, si sit inofficiosa liberis. — 26. Assignatur quæ sit donatio inofficiosa. — 27. Jus revocandi inofficiosa donationem non competit solis filiis, et descendibus, sed etiam parentibus ascendentibus. — 28. Donatio mortis causa proprie talis, etiamsi acceptata a donatario, potest revocari ad libitum donantis. — 29. Et id etiam currit quamvis intercesserit promissio, et pactum de non revocando. — 30. Adducitur, et solvitur objectio. — 31. Quandam donatio mortis causa ipso jure expiret, seu tacite censeatur revocata; *Remissive*. — 32. ad 43. Quæ attendenda, ut feratur rectum judicium de revocatione donationis ob supervenientiam filiorum. — 44. ad 48. An præcedens donatio irrita sit ipso jure, an vero opera hominum indigeat. — 49. ad 56. An jus irritam nullamque declarandi donationem transeat ad filios a donante natos. — 57. 58. Donatio per supervenientiam liberorum ipso jure revocata, per obitum eorumdem ante donantis mortem non reconvalescit. — 59. 60. Quæ sit differentia inter querelam inofficiosa donationis, et querelam inofficiosi testamenti. — 61. ad 63. An prima querela transeat ad Nepotes.

ARTICULUS IV. — Donatio particularis quoad æs alienum.

1. 2. Quamvis successor singularis ad æs alienum donantis non tenetur, quid tamen dicendum, si pro ære alieno res particulariter donata sit specialiter obligata. — 3. ad 9. Opinio nova contra communem Doctorum sententiam affertur. — 10. ad 20. Et probatur. — 21. ad 24. Solvuntur objecta. — 25. Aliqua quæ conferre possunt ad intelligentiam legis *æris alieni*. — 26. Quanti sit momenti in tali re voluntas donantium.

28. ff. de regulis juris, non enim est *datio* seu *collatio*, ut loquitur ipsa definitio. (4. Donatio realis, quæ donatio perfecta dicitur, est illa, qua donans rem alteri, et actu donat, et simul in effectu tradit, ut cum dico: dono tibi hunc librum, et actu ipsum tibi trado, et per hoc redditur donatio perfecta, quia rei donatæ dominium, seu jus in re perfectum naturaliter, civiliter et simul legitima possessio traditur actu Donatario a Donatore, uti exigit desumpta ex citatis juri- bus definitio.

(5. Secundo, dividitur in donationem mere gratuitam, seu liberalem, et in donationem remuneratariam. Donatio mere gratuita, seu liberalis est illa, quæ fit seclusa omni prorsus obligatione tam justitiæ, quam gratitudinis ex parte donantis; et absque ullo merito donatarii, et tota quanta fundatur in liberalitate donantis. (6. Donatio remuneratoria est illa, quæ fit ex aliqua obligatione non quidem justitiæ, sed gratitudinis ex parte dantis ob præcedentia merita donatarii, id est ad remunerandum aliquod beneficium a donatario acceptum, et hæc impropria est donatio. Unde a vera, et propria donatione excluditur illa quam quis facit Magistro suo, cum sit potius remuneratio obsequii, et officii, quam liberalis datio, l. *Aquilinus* 27. ff. de donationibus. (7. Tertio, dividitur in donationem puram, seu absolutam, et in donationem non puram seu conditionatam. Donatio pura, seu absoluta est illa, qua aliquid simpliciter absque ulla